



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Eliseus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

A. Avaritia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

A.

## AVARITIA.

217. **D**efinitur, *appetitus inordinatus habendi*, seu immoderatus amor, cura & sollicitudo acquirendi & retinendi pecunias, divitias seu bona temporalia. Opponitur virtuti liberalitatis secundum excessum; & per se ex genere suo solum peccatum veniale est; utpote excessus in re aliis indifferenti & licita. At verò per accidens nimis sæpe mortale fit. I. Ut v. g. quando repugnat charitati Dei, cum scil. homo adeò inordinate appetit divitias, ut in eis ultimum finem constituat, paratus ob eas legem Dei violare, atque adeò amicitiam Dei, curamque salutis omnino postponat vel excludat; Quod significare voluit Christus Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum sustinebit & alterum contemnet* (statim intulit) *non potestis Deo servire & Mammona*, ita scil. ut in divitiis totum affectum, curam, sollicitudinem, spem ac quasi ultimum finem constituatis: sic enim Deo contempto, Mammonæ pro Deo servietis. Unde emphaticè Apostolus avaritiam *idolorum servitutem* appellavit. Idque verum est etiam, si divitiæ injustè acquisitæ non essent, non ergò gloriatur avarus, quod nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit. Hoc ipso enim, quòd excessivo adeò amore in divitias feratur, ut dicto modo charitatem Dei excludat, peccat mortaliter & ab Apostolo Idololatræ comparatur.

II. Avaritia fit peccatum mortale, quando repug.

pugnat graviter Charitati vel iustitiæ erga proximum, utpote immodico habendi amore, aut injustè auferendo, vel detinendo rem alienam, aut duriter non succurrendo extremæ vel gravi proximorum necessitati. Quin etiam, ut benè notat *Toletus l. 7. c. 25.* Avaritia non tantum sævit in alios, sed etiam in ipsum avarum prohibendo eum, ne vel suis utatur ad necessitatem vel sufficientiam, hi nim. ultra peccatum etiam insanunt.

III. Avaritia denique post superbiam merito secundo loco numeratur inter Capitalia; quia revera plurimorum peccatum caput & causa est, cujus proinde 7. filix enumerantur à *S. Greg. l. 31. Moral. c. 31.* videlicet obduratio, Inquietudo mentis, Proditio, Fraus, Perjurium, Fallacia, Mendacium, quæ passim apud summistas explicata invenies.

### Remedia contra Avaritiam.

218. I. **J**ubeat Confessarius considerare malitiam Avaritiæ: nam *avaro nihil est scelestius*, teste Ecclesiastico: & juxta *S. Paulum: Avaritia est simulacrum servitutis.* Item radix est omnium maliarum cupiditatum, quam quidam appetentes erraverunt in fide, & inseruerunt se doloribus multis, tales incidunt in laqueos diaboli, ut experti sunt Judas, Giezi, & Euclio ille, cujus cor post mortem inventum est in arca: ut & ille, qui pecuniam senti inpersam devorans suffocatus est: item *Reginherus Misniæ Episcopus*, qui in cubiculo inventus est mortuus ruptis cervicibus thesauro suo incubans: item dives, cujus anima à nigris equitibus ad tartara raptata est.

II. Con-